

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5009

Auteur(s) : Pascal II [pape]

Bénéficiaire(s) : Robert Courteheuse, Normandie (duc)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1102, 10 novembre

Lieu d'émission : Bénévent

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Pascal [II] repousse l'exigence de Robert, duc de Normandie, sur le droit d'investiture, en indiquant que le patronage des églises ont été confié aux pourvoirs séculiers pour qu'ils protègent les églises contre toutes perturbations laïques.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 4, p. 56-58.

Indications

David Charles Wendell, *Robert Curthose, Duke of Normandy*, Cambridge, Harvard University Press (Harvard Historical Studies ; 25), 1920, p. 154.

Dissertation critique

Datation proposée par J. Ramackers (voir RAMACKERS, p. 56-57).

Texte établi d'après a

Paschalis episcopus seruus seruorum Dei. R. dilecto filio Normannorum duci salutem et apostolicam benedictionem. Visis litteris uestris et diligenter inspectis lætati sumus, quod temporibus antecessorum uestrorum pace assidua letabatur æcclesia et regularis ordo uigebat. Tempore autem uestro nullum in uestris partibus æcclesia potuit habere augmentum nec religio christiana seruari, ut decuit, quoniam, qui pastores æcclesiarum domini dicuntur, in ipso introitu ceciderunt et, qui messis dominice uidebantur operarii et cultores, facti sunt eradicatores et subuersores. Nec mirum, non enim intrauerunt per ostium, sed ut fures et latrones ascenderunt ex aduerso. Sed sicut fama perueniente cognouimus, non sano intellectu interpretantur quidam tutelam et patrocinium æcclesiarum a predecessoribus nostris, ut dicitis, uobis et antecessoribus uestris esse concessa. Tutela enim et patrocinia æcclesiarum secularibus potestatis commissa sunt, ut æcclesie per uos ab omni perturbatione et infestatione mundana tueantur, quatinus earum cultores quiete et deuote regi celesti ualeant militare. Tu autem te ipsum ostium effecisti et per anulum et uirgam inuestituram æcclesiae non ut sponse Christi, sed sicut ancille hostibus tradis eius regimen usurpantibus, deserentibus Deum, qui uere ostium est, per quem qui non ingreditur, fur est et latro.

Sed quia hac dignitate te expoliatum esse conquereris, quam apostolorum canones et Antiochena synodus, decreta quoque Romanorum pontificum sub anathematis interdicto ab omni seculari remouent potestate, valde miramur. Nemo enim expoliatur ea re, qua semper extitit nudus, nec eius scimus expoliationem, cuius inuestituram nunquam agnouimus. Quapropter, dilectissime fili, indubitanter agnoscas, quod dignitatem tuam minuere nolumus, sed uolumus Deum regnare in te, ut tu per eum regnes, quatinus honor tuus et inquietus et inexpugnabilis maneat. Omnipotens Deus, qui facit utraque unum, dextera sua uos benedicat, ab omni malo defendat et in uitam perducat eternam. Amen. Dat. Beneuenti IV idus nouemb.